



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Novocomi In Basilica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

IN TEMPLO JESUITARUM.
DIALOGUS PHILOSOPHI
ET JUSTITIÆ.

- PH. *Qua Dea?* JUST. *Justitia.* PH. *at cur torvo lumine*
JUST. *Nescia sum flecti, nec moveor precio.* (spectat)
PH. *Unde genus?* JUST. *Calo.* PH. *Qui te genuere parentes?*
JUST. *Mi Modus est genitor, clara Fides genitrix.*
PH. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*
JUST. *Una patet justis, altera surda malis.*
PH. *Cur gladium tua dextra gerit? cur laeva bilancem?*
JUST. *Ponderat hac causas, percutit illa reos.*
PH. *Cur sola incedis?* JUST. *Quia copia rara bonorum est,*
Hac referunt paucos sacula Fabricios.
PH. *Paupere cur cultus?* JUST. *Semper justissimus esse*
Qui cupit, immensas nemo parabit opes.



NOVOCOMI IN BA-
SILICA.

ORdo populusq; Comensis, C. PLINIUM secundum
mactum ingenio virum, dignatione clarum, doctrina
admirabilem, ut qui olim Imperatorum Cæsarum Vespasianorum
amicitiam meruerit: officia maxima gesserit: ac
scriptores universos, copia & varietate superaverit: muni-
cipem suum incomparabilem, statua, & elogio ornare.

*Tantus honor, dulcisq; juvat me fama secundum:
At mage, concives hac possuisse meos.*

IBIDEM.

C. PLINIO Cecilio secundo, qui consulatu, auguratu,
militiæ gestis, orandis causis, poëmatibus & historiis con-
ficiendis, Cæsare Trajano Augusto luculentissime lau-
dando, afficiendoq; immensa liberalitate patriam suam,
eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comen-
sis con-

sis concivi suo desiderabili, honore accepto, monumenta
posuit. M. CCCC. LXXXVIIII. Cal. Maji.

*Functus eram, sed tum veteri praeclarus honore
Vivebam, perit nunc quoque, vita mihi est.*

IN PALATIO P. JOVII.

Vividæ foecundæque virtuti Mæcenates nunquam
defunt.

Fato prudentia minor.

ALIBI.

*Quo juvenis properas, oculos huc flecte parumper,
Latus eris, sed mox non sine lacrymulis.*

IN TEMPLO.

Quem invida mors vult esse mortuum, historia, patria,
orationes & carmina Benedictum Jovium mori non si-
nunt. Julius Episcopus Nucerinus memoriae patris opt.
P. 1556.

SUB STATUA ATTILII GRAMMA-
TICI COMENSIS.

*Morborum vitia & vita mala maxima fugi:
Nunc careo poenis; pace fruor placida.*



TRIDENTINA.

IN TRIDENTUM JUL. CÆS.

SCALIGER.

Nobilis Italico qua prima urbs imminet orbi,
Ausoniis miscet Norica verba sonis.
Romanum ingenium est, animus Germanus, acerbæ
Ultio, si obducta est nube serena fides.
Accipere à Veneto, cujus pars, milite leges
Hac potuit si non; & valet ipsa dare.